

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 4908

**Auteur(s) :** Roger Simon, d'Ymaie, d'Ingouville [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Abraham, bourgeois de Pont-de-l'Arche [particulier]

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1260, avril

**Action juridique :** vente

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Roger dit Simon, d'Ymaie, vend à Abraham, bourgeois du Pont-de-l'Arche, 3 sous 4 deniers de rente, à Ymaie.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissey, 1862, n° CCXLII, p. 247-248.

## Dissertation critique

Avril 1260 ou 1261 (n. s.) : Pâques tombe le 4 avril en 1260 et le 24 avril en 1261.

Texte établi d'après a

Notum sit omnibus, presentibus et futuris, quod ego Rogerus dictus Symon, de Ymaie, de parrochia Sancti Petri de Ygovilla, assensu et voluntate Emmeline, uxoris mee, vendidi et concessi et omnino dereliqui Abraham, burgensi de Ponte Arche, tres solidos et quatuor denarios annui redditus ad festum Sancti Michaelis persolvendos, sitos super quamdam cameram quam habebam apud Ymaie, de matrimonio Emmeline, uxoris mee, quos tres solidos et quatuor denarios Girardus Le Petit ad dictum festum michi annuatim persolvebat ; que camera sita est inter domum dicti Girardi, ex una parte, et terram Guillelmi Leblanc, ex altera : tenendos et habendos, et jure hereditario possidendos, dictos tres solidos et quatuor denarios annui redditus dicto Abraham et ejus heredibus, de me et meis heredibus, libere, quiete et pacifice, ab omnibus absque ulla reclamazione vel contradiccione de cetero mei vel heredum meorum, salvo jure et reddito domini capitalis. Pro hac autem venditione et concessione dictus Abraham dedit michi pre manibus sexdecim solidos turonensium, de quibus me teneo penitus pro pagato. Et licebit dicto Abraham de dicto reddito sicuti de suo proprio hereditatio plenariam facere voluntatem. Et si aliquo casu contingente, ab aliquo vel ab aliquibus, aliquod impedimentum possit evenire dicto Abraham vel suis heredibus, ego dictus Rogerus vel heredes mei dampna et deperdita integre tenebimur restaurare. Et ego Rogerus dictus Symon et heredes mei dicto Abraham vel ejus heredibus dictum redditum, ad usus et consuetudines Normannie, contra omnes tenemur defendere et garantizare, vel valore ad valorem, in propria hereditate nostra, si necesse fuerit, excambiare. Et ego jamdicta Emmelina, uxor dicti Rogeri, spontanea voluntate, non coacta, juravi, tactis sacrosanctis ewangeliis, ratione dotis vel maritaggi mei impediti in dicta camera, vel reddito, nichil amodo reclamabo, nec per alium faciam dictam venditionem in posterum impedire. Et ut hoc sit firmum et stabile, presentem cartam sigilli mei, una cum sigillo dicti Rogeri, mariti mei, munimine roboravi.

Datum anno Domini M° CC° sexagesimo, mense aprilis.

Testibus hiis : Johanne Sapiente ; Ricardo Hybert ; Petro Vilain ; Girardo Parvo, et pluribus aliis.